



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus III. vtrum anima Christi habuerit omnipote[n]tiam respectu
proprii corporis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

communicare. Quid si interdum anima Christi ita illuminat angelos, ut lumen aliquod illis infundat, id non facit, nisi ut instrumentum Dei, sicut de aliis supernaturalibus effectibus statim dicemus.

Secunda assertio D. Thomæ est, habuisse animam Christi ut instrumentum Verbi, virtutem ad omnes immutationes miraculosas, quæ ad finem Incarnationis ordinari possunt, præter eam, quæ creaturæ in nihilum redigi possunt. Conclusionem non probat D. Thom. sed ut notam relinquit ex ipso fine Incarnationis, supponendo, ut alias probatum est in 2. 2. hanc potestatem faciendi miracula esse communicabilem creaturæ. Exceptione vero probat D. Tho. quia annihilatio respondet creationi, unde sicut potestas creandi repugnat creaturæ, ita & annihilandi. Ex his ergo concludit D. Tho. tertiam assertionem absolute negantem, scilicet non habere Christum omnipotentiā circa immutationem creaturarum, quam ex assertionem secundam probatum relinquit.

In solutione ad primum tractat D. Thomas locum illum Matthæi ult. *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Et exponit, hæc verba intelligenda esse de omnipotentia simpliciter, quæ communicata dicitur homini Christo per communicationem idiomatum, sicut articulo præcedenti exposuerat Ambrosium, Luc. 1. dicentem, accepisse hominem in tempore omnipotentiam, quam Filius Dei habet ab æterno, unde consequenter ait, illam potestatem datam esse à principio, post resurrectionem vero, dici datam esse quoad manifestationem. Quam expositionem indicasse videtur Tertul. li. contra Præxian, cap. 16. ubi dicit, Christum ab initio, seu ab æterno, accepisse potestatem omnem in celo, & in terra: & Gregor. Nis. orat. 2. de Resurrect. circa finem: *Quæ naturaliter (inquit) habebat tanquam Deus, hæc dicitur accipere tanquam homo.* Iuxta quam expositionem, etiam si Christus in humanitate nullam specialem potestatem accepisset per ipsam humanitatem exercendam, posset dicere, sibi datam esse omnem potestatem in celo, & in terra: sicut dicitur Christus, seu hic homo, simpliciter omnipotens, etiam si omnipotentia simpliciter humanitati communicata non sit. Propter quod non videtur mihi hæc expositio textui consentanea, loquitur enim Christus de singulari quadam, & suprema potestate sibi ut homini, seu humanitati suæ tributa, ita ut per ipsam esset exercenda, ratione cuius mittebat Apostolos ad prædicandum omnibus gentibus: non est ergo ibi sermo de omnipotentia simpliciter, sed de excellenti quadam potestate communicabili creaturæ: & ita intelligunt locum illum expositores communiter, Anselmus, Theophy. Euthym. & D. Thomas in catena, ubi refert Remigium, Rabanum, & Seuerum. Indicat etiam Cyp. lib. 2. contra Iudeos cap. 26. & Athan. oratio. quadam contra Arianos, in hoc dictum *Ex Deo, Deus Verbum*, non longe à principio: & optime Gregor. Nis. lib. de cognitione Dei, cap. Ex Daniele, habetur tom. 1. B. blot. sanct. & sanctus Vigilii, lib. 5. contra Eutych. colum. 7. Existimo tamen, ibi non esse præcipue sermonem de potestate faciendi miracula, de qua nunc agimus, hæc enim & antea data erat, & satis fuerat hominibus nota, sed potestate dominandi, & imperandi omnibus creaturis, & regendi omnes homines suprema quadam Pontificali, & Regia potestate excellentiæ: de qua infra quæst. 22. dicturi sumus, ut egregie exposuit Vigil. citato loco: ad hanc enim potestatem pertinet actus ille, quem Christus statim exercuit, dicens: *Euntes ergo, docete omnes gentes.* Dixit autem Christus, post resurrectionem datam sibi esse hanc potestatem, vel quia tunc cepit innotescere hominibus, quod iam erat notum angelis, ut Remigius supra dicit, vel, ut addit Anselmus, quia ex tunc videtur Christus, & imperandi, & dominandi statum accepisse, antea enim fuerat in statu

passibili: Paulo ab angelis minoratus: vel denique, quia tunc accepit plenum, & expeditum usum huius potestatis: nam licet antea haberet illam veluti quoad proprietatem ratione vnionis, non tamen quoad plenam possessionem & usum, ratione status viatoris.

In solutione vero ad tertium notandum est, quod D. Thomas dicit, non tantum accepisse Christum potestatem faciendi miracula, ut ea uti posset, sed etiam, ut eam posset aliis communicare, iuxta illud Matth. 10. & Luc. 10. *Ece ego mitto vos, & infra Curate infirmos, & infra, Etiam demonia subiiciuntur vobis, & infra, Ece dedi vobis potestatem, &c.* & Matth. 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, &c.* Et huc pertinet, quod Christus dedit aliis potestatem conferendi, remittendi peccata, &c. Tota enim hæc excellentia debetur dignitati Christi, & meritis eius, & pertinet ad eam, quam Theologi vocant, potestatem excellentiæ, quæ potuit instituire sacramenta Evangelica, & ordinare perfectos sacerdotes, & creare Apostolos, & prædicatores Evangelicos conuenienti virtute & potestate instructos ad fidem confirmandam.

ARTICVLVS III.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.



D. Tertium sic proceditur. Videtur, quod anima Christi habuit omnipotentiam respectu proprii corporis. Dicit Damascen. * in 3. lib. quod omnia naturalia fuerunt Christo voluntaria: volens enim curauit, volens creauit, volens tenuit, volens mortuus est, &c. Sed ex hoc Deus dicitur omnipotens, quia omnia quæcunque voluit, fecit. Ergo videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu naturalium operationum proprii corporis.

2. Præterea, in Christo fuit perfectius humana natura, quam in Adam, in quo secundum originalem iustitiam quam habuit in innocentia statu, corpus habebat omnino subiectum animæ, ut nihil in corpore posset accidere contra animæ voluntatem. Ergo multo magis anima Christi habuit omnipotentiam respectu sui corporis.

3. Præterea, ad imaginationem animæ, naturaliter corpus immutatur, & tanto magis, quanto magis anima fuerit fortis imaginationis, ut in prima parte habitum est. Sed anima Christi habuit virtutem perfectissimam, & quantum ad imaginationem, & quantum ad alias vires. Ergo anima Christi fuit omnipotens in respectu ad corpus proprium.

Sed contra est, quod dicitur Heb. 2. quod debuit per omnia fratribus assimilari, & præcipue in his, quæ pertinent ad conditionem naturæ humanæ. Sed ad conditionem humane naturæ pertinet, quod valetudo corporis, & eius nutritio, & augmentum, imperio rationis, seu voluntatis non subdantur: quia naturalia soli Deo, qui est auctor naturæ, subdantur. Ergo nec in Christo subdebantur. Non igitur anima Christi fuit omnipotens respectu proprii corporis.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, * anima Christi potest dupliciter considerari. Vno modo secundum propriam naturam, & virtutem. Et hoc modo, sicut non poterat immutare exteriora corpora à cursu & ordine naturæ, ita etiam non poterat immutare proprium corpus à naturali dispositione: quia anima Christi secundum propriam naturam, habet determinatam proportionem ad suum corpus. Alio modo potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum virtutis Verbo Dei in persona. Et sic subdebatur eius potestati totaliter omnis dispositio proprii corporis. Quia tamen virtus actionis non proprie attribuitur instrumento: sed principali agenti, talis

Et anima omni-

Potestas faciendi miracula in Christo quædam.

Matth. 8.

Ambros.

Tertul.

Gregor. Nis.

Anselmus. Theophy. Euthym. D. Thomas. Raban. Seuer. Cyprian. Athanas. Greg. Nis. Vigil.

84.

Lib. 3. orib. 2. cap. 20. 23.

Art. præd.

omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei, quam anime Christi.

Citatum in
argum.
Lio 3. c. 15. a
med. & cap.
14.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Damasceni * est intelligendum, quantum ad voluntatem Christi diuinam: quia sicut ipse in precedenti cap. * dicit beneplacito diuine voluntatis permissibatur carni pati, & operari quae propria.

Ad secundum dicendum, quod non pertinebat hoc ad originalem iustitiam, quam Adam habuit in statu innocentie, quod anima hominis haberet virtutem transmutandi proprium corpus in quamcunque formam, sed quod posset ipsum conseruare absq. omni nocumento. Et hanc etiam virtutem Christus assumere potuisset, si voluisset. Sed cum sint tres status hominum, scilicet, innocentie, culpae, & glorie, sicut de statu glorie assumptis comprehenduntur, & de statu innocentie immunitatem a peccato, ita & de statu culpae assumptis necessitatem subiaccendi penalitatibus huius vite, vt infra * dicitur.

Quaest. 14.
art. 2.

Ad tertium dicendum, quod imaginationi, si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua: puta, quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est esse principium motus localis vt dicitur 3. de Anima. * Similiter etiam, quantum ad alterationem, quae est secundum calorem, & frigus, & alia consequentia, eo quod ex imaginatione consequenter nata sunt consequi anima passiones, secundum quas mouetur cor, & sic per commotionem spirituum, totum corpus alteratur. Alia vero dispositiones corporales, quae non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcunq. sit fortis: puta, figura manus, vel pedis, vel aliquid simile.

Li 3. de anima, tex. 48.
& sequent.
tom 2.

COMMENTARIUS.

Doctrina huius articuli eadem est cum doctrina articuli praecedentis, solum, quod ibi generatim dictum est, hic ad ipsum corpus Christi applicatur. Et hoc sensu docet D. Thom. animam Christi propria naturali virtute non habuisse omnipotentiam circa corpus proprium, tamen, vt instrumentum Verbi, habuisse in sua potestate omnium dispositionem, & proprii corporis immutationem.

ARTICVLVS IV.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis.

85.



Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi non habuerit omnipotentiam respectu executionis propriae voluntatis. Dicitur enim Marci 7. quod ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.

Non ergo potuit in omnibus exequi propositum suae voluntatis.

2. p. q. 19.
art. 12.

2. Praeterea, praecipuum, est signum voluntatis: vt in prima parte dictum est *. Sed Dominus quaedam facienda praecipit, quorum contraria acciderunt: dicitur enim Matt. 9. quod cecus illuminatus comminatus est Iesus, dicens; Videte, ne quis sciatur, illi autem exeuntes, dissipauerunt illum per totam terram illam. Non ergo in omnibus potuit exequi propositum suae voluntatis.

3. Praeterea, id quod potest aliquis facere, non petit ab alio. Sed Dominus petiuit à Patre, orando illud, quod fieri volebat: dicitur enim Luc. 9. quod exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Ergo non potuit exequi in omnibus propositum suae voluntatis.

In lib. q. ex
nouo Testa-
mento qui in-
cipit. Deum
quidem per-
fectus est q.

Sed contra est, quod dicit Aug. * in lib. de Quaestionibus veteris, & noui Testamenti: Impossibile est, vt Saluatoris voluntas non impleatur, nec potest velle, quod scit, fieri non debere.

Respondeo dicendum, quod anima Christi dupliciter a-

liquid voluit. Vno modo quasi per se implendum. Et sic dicitur, quod quicquid voluit, potuit: non enim conueniret sapientia eius, vt aliquid vellet per se facere, quod sua virtuti non subiaceret. Alio modo voluit aliquid, vt implendum virtute diuina, sicut resuscitationem proprii corporis, & alia huiusmodi miraculosa opera. Quae quidem non poterat propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum diuinitatis, vt dictum est *.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Augustinus * dicit in lib. de Quaestionibus veteris & noui Testamenti. Quod factum est, hoc voluisse dicendus est Christus. Aduertendum est enim, quod illud in finibus gestum est Gentilium, quibus adhuc tempus praedicandi non erat: vltro tamen venientes ad fidem non suscipere, inuidia erat. A suis ergo noluit praedicari, requiri autem se voluit, & ita factum est. Vel potest dici, quod hoc voluntas Christi non fuit de eo, quod per eam fiendum erat, sed de eo, quod erat fiendum per alios, quod non subiacet humanae voluntati ipsius. Vnde in Epistola * Agathinis Pape, quae est recepta in 6. Synodo, legitur, * ergo nullo omnium Conditor, ac Redemptor, in terris latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam eius voluntatem, quam temporali-ter est dignatus assumere, redigatur.

Ad secundum dicendum, quod sicut Gregorius * dicit 19. Moralium, per hoc, quod Dominus praecipit, taceri virtutes suas, seruis suis sequentibus exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultare desiderarent, & tamen, vt alij eorum exemplo proficerent, prodantur inuiti. Sic ergo praecipium illud designabat voluntatem ipsius, qui humanam gloriam regebat, secundum illud Ioan. 8. Ego gloriam meam non quero: Volebat tamen absolute, praesertim secundum diuinam voluntatem, vt publicaretur miraculum factum, propter aliorum utilitatem.

Ad tertium dicendum, quod Christus orabat, & pro his, quae virtute diuina fienda erant, & pro his etiam, quae humana voluntate erat facturus, quia virtus & operatio animae Christi dependebant à Deo, qui operatur in nobis velle, & perficere, vt dicitur Philip. 2.

COMMENTARIUS.

Doctrina huius articuli difficilis est, pendet tamen ex iis, quae 18. quaest. de voluntate Christi, ac eius actibus, dicenda sunt.

DISPUTATIO XXXI.

In octo Sectiones distributa.

De gratia, seu potestate animae Christi data ad miracula, vel supernaturalia opera facienda.

In hac disputatione nihil de facultatibus naturalibus animae Christi dicendum est, est enim res, & per se clara, & satis in superioribus tractata, agendum ergo est solum de supernaturali potestate ad supernaturales actiones: & quia de actibus vitalibus supernaturalibus, & de illuminatione, quae per illos fieri potest, in superioribus etiam satis dictum est, nihil de eis hoc loco dicemus; sed solum de aliis miraculosis actionibus, & de virtute ad illas efficiendas, ad quam pertinent illae duae gratiae gratis datae: quarum dispositionem supra huc remissimus, scilicet, gratia sanitatum, & operatio virtutum. Quoniam vero actiones supernaturales, & miraculose complures sunt, quarum praecipua esse videtur animarum iustificatio, seu gratiae productio, non oportebit de singulis earum dicere, sed in communi res disputanda est, & si quid in particulari dicere oportebit, id frequentius explicabimus in gratiae productione, nisi alicubi alia occurrerit specialis difficultas.

SECTIO